



94



L VII 194



210/53

57-100

Quod
Trinunus DEUS, Autor & approbator
Conjugii optimus atq; sanctissimus
jubeat esse felicissimum!

Reverendus, Clarissimus & Doctissimus Vir,
DN. DAVID VECHNERUS,

Ecclesiae
apud Gorlicenses Minister Primarius
fidelissimus, &
Gymnasii,
quod ibidem floret, Rector gravissimus
atq; solertissimus;

*Cum Pietate atq; modestia egregie
condecorata Faemina*

R E G I N A,

Præstantissimi & Doctissimi Viri,
DN. PAULI GEBHARDI, Collegæ
quondam laudati Gymnasii,
relictæ vidua,

Nuptias tertium secundas celebrat.
Quibus gratulantur, & faustissima
quævis adprecantur

Collegæ & natu minor filius.

*Ipsa Nuptiarum die, qui erat XIV. Calend. Julii
Anni reparatae per Christum salutis,
CLO IOC LXIII.*

GORLICII, Typis CHRISTOPHORI ZIPPERI.

DN 3046216



*Uod, Reverende, Tibi jungis, VECHNERE,
Maritam,*

Consociam vita, carpere nemo potest.

Hoc svadent cura, svadet grandæva senectus,

Dirigit ipse DEUS, publica causa jubet.

Hinc mea vota fero; Tibi sit tua Costa levamen

Curarum, vitæ; sit Tibi multa salus!

* * *

Weil Ihr/ hochwehrtter Freund/ bey euren grauen Jahren/
Euch nun zum dritten mahl in Ehstand wollet paren/
So wüntsich ich Euch Glück/ und was man wüntsichen sol/
Gott seegne euern Stand/ daß er gerathe wol!

f.

**ELIAS Weirich/ Ecclesiæ
Gorlic. Diaconus.**

Litis cum fines extra dubiis; repostum
Sit, quod vulgatus dicitur ille canon:
Splendida præclari radiis solet esse mariti
Uxor, non hujus splendidus ille bonis:
VECHNERI radiis se diffundentibus omnes
Terrarum in tractus splendida Sponsa satis.
Tædarum sentit, VECHNERE colende, tuarum
Haud certè invidiam Sponsa animosa levem.
Hoc ipsum ex animo acclamamus: sentiat usq;
Conjugii invidiam Sponsus uterq; parem.

**BALTHASAR Dietrich/
Diaconus Ecclesiæ
Gorlicensis.**

Plan-

P *Laudite Pierides, templi, ludiq; Magister*
VECHNERUS repetit tertia pacta tori.
Progreditur Sponsus, surgit REGINA marita;
Illa Tuo sola est apta reperta toro.
Laudo conatum. Nam, quod sine remige puppis:
Id sine dilectâ est conjuge sola domus.
Vestris exoptata igitur precor omnia tædis;
Da Pater, ut thalamo mellea mella fluant!

CHRISTOPHORUS FRIDERICUS NICIUS,
Ecclesiæ Patriæ Diaconus.

Q *Uàm benè conveniunt, Scholico cum pectore jungit*
Se Scholicum pectus: pectora bina Scholæ,
Non genus imminuunt; sed sancto fœdere firmant,
Atq; docent, si vis nubere, nube pari.
Namq; pares mores, studium par, parq; voluntas
Disjunctos animos unanimes faciunt.
Hoc benè firmatum sinceri fœdus amoris
Prosperet, & fructûs det DEUS ipse bonos.

DANIEL Wank.

T *Heilogici PHOENIX Cæli, quo mœnia gaudent*
Gorlitii, vultus induit, ecce, novos.
Ignibus exspirat geminis, sufflante Diona
Et Phæbo, vires colligit unde novas.

A 2

Colli-

*Colligat inde suas etiam PANCHATA nostra:
Et cum PHOENICE hoc stet superetq; diu!*

M. CHRISTOPHORUS SEIFERTUS.

Tertia quando Tibi, VECHNERE, adducitur uxor,
Sit mihi fas tædis hæc dare vota tuis:
Hæc vicina Tibi bona proffit, diligat hæc Te,
Adferat & thalamo tristia nulla Tuo.

M. CHRISTOPH HASSFURD.

UT tanto par sis oneri, VECHNERE, ferendo,
Quo Te cum Scholica functio sacra tenet,
Dat vitæ Sociam sociali federe junctam
FOVA, sit ut privata Columna rei.
Hanc omnis Dator ipse boni Te sospite servet:
Quod votis scholicus, quod sacer Ordo petit,
Ore atq; animo

ANDREÆ THESEI.

Civibus, ut referunt, Lex est Lacedæmone prisca,
Illum non pænas solvere jure leves,
Qui vivat cælebs focij sine compare lecti,
Aut serò, aut fatuus (proh malè!) ducat anum.
Non est, cur quisquam festinet dicere pænam
VECHNERO Sponso, sit licet ipse Laco.

Jam

Jàm pridem juvenis renuit sine conjuge vitam,
Denuò bis viduus vincla sacrata subit.
Nec tetricam, pigram, virtutum laude carentem
Eligit, ut vulgus, quæ sed ab axe venit;
Est cujus pietas, moresq; fidesq; jugalis
Omnibus in nostrâ notior urbe viris.
Hæc REGINA feret solatia mille laborum;
Hæc REGINA feret commoda mille domi.
Quod tibi, Sponse, precor; reliqui quæcunq; precan-
Queis precibus calidis annuat Alma Trias. (tur,
MATTHÆUS SEYLERUS.

*CO*Enobii nostri quis plausus, gaudia quenam?
*A*uguror, anne hodiè fiant socialia sacra?
*S*ic est. *VECHNERVS* per plurima tempora *RECTOR*
*A*ssiduus, casti Sponsam sibi fœdere junget
*C*onnubii, & faciet thalami jam tertia pacta.
*E*n, ipsæ Sponsam comitantur in ordine Musæ
*E*t Sponsum tanto letantes munere donant.
*E*rgò vive diu felix cum Conjuge amicâ.
*S*PONSE, tui thalami quæ consors casta futura est:
*F*ida comes tecum miscebit gaudia letis
*I*n rebus, nec te adversis successibus unquam

Destituet, quorum pregrande levamen habebis
Oro DEVM eveniant thalamo felicia queq;

PAULUS SCHWERTFEGERUS.

Ducite Pierides lætæ thyasosq;, chorosq;,
Fundite jucundum, fundite suave melos.

Associat Viduam sibi jam VECHNERUS honorus:
Qui Philomela sacri dulcisonora chori.

Vivida non insunt viduo solatia lecto;
Ipse quod expertus, Vir venerande, sat es.

In durum thalamum TIBI nunc dat molle melisma,
Qui vitæ Sociam sustulit ante, DEUS;

Duras quod curas malacisset, suavia quodq;
In cruce solati det melimela TIBI.

Vitæ sunt sanè solatia utrinq; jugalis,
In fido totum Conjugis esse sinu,

Et pro re nata thalami cum Compare fidâ
Vel ridere simul, vel lachrymare simul.

Conscelerata lues linguæ, parsturpis averni,
Ne noceat, stygiis territa musset aquis.

Haud, VECHNERE, tuæ vulgus post scænia vitæ,
Nec duplicis Spartæ munia, callet iners.

Nulla Boni Sociâ sine possessura juvabit:
Costa ruinantis destina certa rei est.

Extirpes ergo curarum è pectore vepres,
Delicium Phœbi, Pieridumq; decus:

Rugis & mæandratam jam exporrige frontem,
Tristitiæ fornax sat modò coxit aquas.

Uxor non *regimen* REGINA capeffet, iniqua
Ceu Tanaquil: morem sed geret usq; TIBI.

Scilicet haud impar Cajæ REGINA priori
Moribus, ingenio, mente, pudore, fide.

S ole favoris Epos̄ transmissum tinge, sub ulnas
P asitheæq; modo solito, VECHNERE, reconde.
O semper SPONSIS divini fulgeat aura
N uminis, & roseo madefiat rore cubile.
S int animis ambo puris, sint corpore salvi!
U ovi sat SPONSIS. Delapsa Faventia cœlo
S PONSIS ipsa potest non plura vovere colendis.

*Debit. observant. & honoris
ergo scribeb.*

ANTONIUS Schmidt.

Illud conjugium in vitâ persuadeor esse,
Esse quod obscuro Phœbus in orbe solet.
Hic furvas pellit tenebras, lucemq; reducit:
Illud curarum nubila, vel minuit.
Hic simul ac nigrâ texit ferrugine vultum,
Contristatur homo, bestia quæq; dolet.
Illud ubi solvit certa truculentia mortis,
Et dolor & luctus personat indè domum.
Ad producendas, vitæ media obvia, fruges,
Nil magè proficuum, Phœbe, calore tuo.
Conjugium natos gignit natasq; subindè
Suppeditans, quibus est indiga vitæ brevis.
Hinc Solem è mundo mibi tollere velle videtur,
E vitâ quisquis conjuga pacta rapit.
Hactenùs in viduâ, Genitor suavissime, vitâ
Plurima cum tenebris nubila oborta domi.

Jam

*Jàm novus exoritur Tibi Sol, moderante Jevovâ,
Cujus Te lectâ conjuge dextra beat.*

Hæc Tibi perpetuo conjuncta manebit amore:

Hæc Tibi curarum dulce levamen erit.

Hæc vigili studio curâq; domestica prudens

Disponet, senii scipio eritq; Tui.

Hæc Tibi reliquias faciet dulcescere vitæ:

Nec, nisi mors, solvet corda ligata fide.

Hæc Tecum mihi spes, hæc sunt communia vota.

Quæ etiam hoc addo, de venerande Parens:

Ut memorant, aquilam versis juvenescere pennis:

Viribus & vultu sic renovère Tuo.

Sed votis jungam junctos divinitus: omnes

Sint Vobis lati, sint sine nube dies.

Vivite felices longùm, seriâq; redite

In calum, quod Vos hoc animo esse dedit.

*Quæ Domino Parenti magnis de nomi-
nibus plurimum venerando,
jàm tertium SPONSO,
scribeb. Dresdæ*

filius observantissimus,

ABRAHAM VECHNERUS,

**Generosissimæ pullitici Le-
stianæ ab Informatione,**



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8